



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia  
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive  
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

**Wamesius, Johannes**

**[S.l.], 1643**

De rerum permutatione. Consilium CCCXXXIX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

acquir. rer. domin. Quod hic tanto propensius dici potest, quod Collator dolo malo versatus in hac permutatione statim quidem & sine mora resignatum beneficium A. contulerit, ipsi B. retento apud se beneficio resignato per B. in favorem A. ex ea videlicet causa, quod foret A. ex morbo decumbere, atque in vitæ periculo esse: quod cum sine fraude ac dolo facere non potuerit, *De rer. permut. lib. 6. c. d. Clem. 1.* presumendum est, collationem subsecutam obtegendæ illius fraudis gratiâ, ex causâ vacationis per mortem seu liberam resignationem ipsius A. esse factam. Ita ut quamvis potuerit conferre tamquam vacans ex resignatione B. quia tamen sic non contulit, potestate sua non usus, inutiliter ex alia causâ, quæ falsa reperitur conferendo, nihil egisse videtur. *l. 3. De reb. dub. Unde cum Lapo, d. alleg. 78. & Parisio, d. conf. 41.* ex istis hanc collationem & provisionem nullam esse; potiusque ideo in causâ possessoria sentendum eum, cui per Sedem Apostolicam provisorum est.

### De rerum permutatione.

#### S V M M A R I V M.

Permutatio beneficiorum.

1. Permutans an ad suum beneficium venire possit, si permutatio effectum non habeat.
2. Permutans compellere potest compermutantem ad adimplentionem conceptæ permutationis.
3. Permutans an suum prius beneficium retinere possit.
4. Permutans non prosequendo effectum permutationis an illum amittat.

#### C O N S I L I V M CCCXXXIX.

**C**ONCEPTA permutatione inter Iacobum Rectorem Parochialis Ecclesiæ de Busegnies, & Petrum Capellanum Capellanum ad altare S. Catharinæ in domo Episcopali castri Cameracensis; Petrus ex collatione Ordinarii consecutus est dictam parochialem Ecclesiam, retenta sibi nihilominus dictâ Capellaniâ; quam postmodum alteri resignavit; atque adeo etiam postea resignationem fecit ipsius Parochialis Ecclesiæ in tertium. Queritur nunc, an post lapsum decennium à prædictâ permutatione, & adeptione dictæ Parochialis Ecclesiæ; & post triennium ab ulteriore dictæ Ecclesiæ resignatione per Petrum factâ, præfato Iacobo aliquâ viâ consuli possit? & quâ? ac adversus quem? Res satis perplexa est. Nam etsi hoc certum & indubitatum, ex causâ compermutationis beneficiorum Ecclesiasticorum, resignantem ad suum resignatum beneficium redire posse, si ad alterius compermutantis beneficium ipse venire non possit, vel factò compermutantis, vel alia ratione, etiam sine nova formali collatione, *c. unico De rer. permut. lib. 6.* requisitâ tantum superioris autoritate, Ioan. Staphilem in tract. de liter. gratia in tit. de varijs mod. vacat. artic. 1. nu. 14. ¶ aut si malit, possit compermutantem cogere ad complementum permutationis, Rebuff. in praxi benefic. lib. 2. tit. de permut. illud tamen habet dubitationem non parvam, anne tanti temporis lapsu, ac taciturnitate, Iacobus renuntiasse videatur complemento, ad quod Petrus obstrictus fuit?

Nam compermutationis beneficiorum non ea est conditio, quasi nihil ex ea consequi alteruter possit, nisi utrumque implemento secuto; sed, ut est in communi natura permutationis, relinquitur implenti vel locus penitentiae, ex qua suum beneficium resignatum, ab eo, qui non implet, avocare possit; vel actio ad compellendum ut impleat, *l. 1. l. Naturalis §. 1. De præscrip. verb. t. 3.* Atque hinc est, quod si resignans ex compermutatione non urgeat, alter compermutantium possit resignatum beneficium cum suo priore retinere: sicut evenit cum resignans ante implementum alterius moritur, Rebuff. loco suprà citat. nu. 28. ¶ Ita ut magna suspicio collusionis hic obversetur ex hac decennali taciturnitate, & lapsu tanti temporis, ex quo animus deserendi derelinquendique facile præsumitur, Gloss. in l. si quis vi §. differentia & ibi DD. De acquir. possess. multo magis non acquirendi, in acquisitione earum rerum, quæ facillime acquiri possunt: unde hæc revertis, quæ hic ad beneficium resignatum, statim fieri debet, non ex tam longo intervallo, Rebuff. loco suprà citat. nu. 12. Quod in proposito proclivius dicendum est, utrobique beneficio vñ ad tertios possessores sine vitio translato, *l. cum precibus & ibi Gloss. & DD. C. De rer. permut.* Ita ut sit, quod Iacobo imputeretur, cur temporis opportunitate usus non fuerit. ¶ Nisi probari possit Iacobum in negligentia non fuisse, sed debite ac instantè interpellasse, & ea interpellatione non obstante has resignationes esse factas. Quo casu consultissimum erit adversus Petrum agere ad complementum; cuius executio erit in præstatione interesse, *d. l. Naturalis §. 1.* Nam adversus possessorem Ecclesiæ intricatio & difficilis futura esset actio; cum propter triennalem possessionem; tum propter moram & negligentiam Iacobi, realiter & cum effectu in tempore non revertentis ad suam resignatam Ecclesiam. Quæ actio adversus Petrum instituenda erit vel coram suo capitulo; vel quia beneficalis causa est, coram Ordinario loci: propter decretum Concilij Tridentini, præcipientis omnes beneficales causas in prima instantia agi coram Ordinario. Tamen quia hæc causa, quatenus ad interesse dirigitur, propriè & merè beneficalis non erit, terdens ad personalem præstationem; si suspecti sunt Domini de Capitulo, poterit impetrari rescriptum Pontificum, quo causa committatur alicui in dignitate Ecclesiastica in his partibus degenti. Sed ante omnia diligenter suspiciatur & inquiratur de diligentia, ac negligentia seu taciturnitate Domini Iacobi.

### De rerum permutatione.

#### S V M M A R I V M.

Permutatio beneficiorum.

1. Beneficium sine clericatura obtineri nequit.
2. Clericatura quomodo probatur.
3. Vacationem probare debet qui adversus veterem possessorem beneficij agit.
4. Tractantur sæpe multa quæ non concluduntur.
5. 15-18 37. Beneficia compermutata quando vacant.
6. Permutatio beneficiorum non sortita effectum, quid efficiat.
7. 2. Permutatio etiam non sortita effectum facit vacatò